





LXII.

114

1714,5

611

DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
EXHÆREDATIONE JURIS  
PRUTENICI,

vulgo

Von Enterbung der Kinder und  
Eltern nach dem Preussischen  
Recht /

quam

ADJUVANTE DEO TRIUNO,  
EX CONSENSU  
AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,  
PRÆSIDE  
DN. DAVID STAVINSKI,  
U. J. D. & P. P.

*placida Eruditorum Censura submittit*

HENRICUS Kühn / Reg. Pruss.  
IN AUDITORIO MAJORI,  
D. Maji, A. M DCC XIV.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

INCLYTÆ REIPUBLICÆ LOEBNICENSIS  
DOMINIS CONSILIARIIS GRAVISSIMIS,

*Viris, Prænobilissimis, Experientissimo, Amplissimis, Consultissimis, multoque rerum usu ac prudentia maxime conspicuis,*

DN. MARTINO Jeschke / Consuli dignissimo,  
DN. GEORGIO Emmerich / Med. Doct. & Prof. Ord.  
Prætori gravissimo,

DN. HENRICO Pöpping / Camerario fidelissimo,

DN. JOHANNI Rinder / Judici spectatissimo,

DN. JACOBO Rühn /

DN. JACOBO Rhod /

DN. REINHOLDO Ros /

DN. CHRISTOPHORO Ritter /

DN. GODOFREDO Romberg /

DN. JACOBO Ranisch /

Ut &

*Viris Nobilissimis, Consultissimis & Doctissimis*

DN. CHRISTIANO Johansen / Sen.

DN. CHRISTIANO Johansen / Jun.

Secretariis meritissimis,

*Magnis Musarum Patronis, Fautoribus ac Parenti,  
ea, qua par est, reverentia colendis,*

Hanc Dissertationem in tesseram grati animi,  
studiorumque suorum ulteriorem com-  
mendationem cum voto perennantis pro-  
speritatis

*offere dicatq;*

HENRICUS Rühn /  
Reg. Pruss.

## DE EXHÆREDATIONE JURIS PRUTENICI. SUMMARIÆ.

*Ingressus* §. 1.  
*Exhæredatio Juris Prutenici* §. 2.  
*Describitur* §. 3. & 4.  
*Varie divisiones recensentur & rejiciuntur* §. 5.  
*Ratione subjecti exhæredatio est vel liberorum, vel Parentum: non fratrum & sororum,* §. 6.  
*Nedum remotiorum collateralium,* §. 7.  
*Discrimen Sexus non attenditur,* §. 8.  
*Qui liberi non succedunt, nec necessariò hæredes sunt instituendi vel exhæredandi, uti nepotes vivis Parentibus justè exhæredatis,* §. 9.  
*Et liberi, qui hereditati Parentum renunciarunt: item Separati Jure Lub. non Jure Prut.* §. 10.  
*Incestuosi & ex damnato Coitu nati, ut & naturales respectu Parris: non Matris,* §. 11.  
*Adoptati ab extraneo,* §. 12.  
*Parentes illegitimi, qui non succedunt ab intestato nec necessariò hæredes instituendi vel exhæredandi,* §. 13.  
*Legitimi Parentes licet non pro-*

*ximè succedant, tamen sunt necessariò instituendi vel exhæredandi,* §. 14.  
*Utrum etiam Parens superstes post finem ruptum in bonis exdivisis, à filio, fratribus præteritis & extraneo hærede scripto, sit instituendus vel exhæredandus?* §. 15.  
*Silentium Matris Jure Prut. non est loco exhæredationis,* §. 16.  
*Objectum exhæredationis sunt bona allodialia seu Culmensia: non feudalia, nec fideicommissò obnoxia,* §. 17.  
*Forma exhæredationis consistit in eo (1) ut fiat in Testamento, §. 18. Solenni: non privilegiato paterno,* §. 19.  
 (2) *Ut nominatim verbis expressis & dispositivis,* §. 20.  
*Non dubitativis,* §. 21.  
*Non sub Conditione,* §. 22.  
*Nisi sub contraria conditione possibili in integra hereditate instituat, §. 23.*  
*Ab omnibus hæredum institutorum & substitutorum gradibus,* §. 24.  
*Non ex calore iracundia,* §. 25.  
 (3) *Ut ex justa causa in testa-*  
 A mentò

- mento expressa, quarum in liberis quatuordecim: in Parentibus octo sunt constituta, §. 26.
- Liberos exheredandi causa (1) si Parentem verberaverit, §. 27.
- (2) Si gravem injuriam verbalem intulerit, §. 28.
- (3) Criminis accuset, §. 29.
- (4) Se societ magis, §. 30.
- (5) Pareat insidias, §. 31.
- (6) Viciet cubile Parentum, §. 27.
- (7) Si dederit damnum grave, §. 33.
- (8) Carcere conclusum si negligat, §. 34 35 36.
- (9) Testari vetet, §. 37.
- (10) Inonestum vitæ genus amplectatur, §. 38. 39.
- (11) Filia meretrix, §. 40. 41. 42. & liberi in vitis Parentibus nuptias contraxerint, §. 43.
- (12) Si agrum Parentem negligat, §. 44.
- (13) Ab hoste non redimat, §. 45.
- (14) Non orthodoxus, §. 46.
- Præter enumeratas similes & graviores admittuntur, §. 47.
- Parentes exheredandi causa (1) si liberis criminis capitalis accusaverint, §. 48.

- (2) Vitæ liberorum insidiati fuerint, §. 49.
- (3) Si Parens se adjungat nurui vel genero, §. 50.
- (4) Testari prohibeat natum, §. 51. & 52.
- (5) Ejus Patri aut Matri venenum pareat, §. 53.
- (6) Si calamitosum negligat, §. 54.
- (7) Vel carcere inclusum, §. 55.
- (8) Si Parens sit hæreticus, §. 56.
- Ratio, quare pauciores sint causæ exheredandi Parentes, quam liberos, §. 57.
- Denique (4) ut causa ab hærede scripto probetur, §. 58.
- Quod requisitum ut ad qualitatem, non ad modum seu formam exheredationis referatur necessum non est, §. 59.
- Istis requisitis deficientibus, exheredatio nulla est, quoad hæredis institutionem: non reliqua testamenti capitula, §. 60.
- An differentia sit in Foro Præt. inter Nullitatis, & inofficiosi querelam? §. 61. 62.
- Exheredatio remittitur Testatoris voluntate expressa vel tacita, §. 63.

§. I.



Inter Parentes & liberos necessitudinem Legibus esse inductam, ut sibi invicem certam hæreditatis partem, quæ legitima vocari solet, in testamento relinquere teneantur,

in



3

*in Disput. de Legitima Juris Prutenici nuper sub Domino Praeside habita*, fuit comprobatum. Cum vero in ista Disputatione inter modos, quibus cessat Legitima, etiam casus exheredationis §. 44. generaliter sint relati: operæ pretium existimavimus, de hac materia exheredationis juxta placita Juris Prut. in presentiarum ex instituto differere. De qua quidem materia ex Jure Civili multa in publicum prodire Commentaria. Attamen, prout nobis in Studio Juris, quod in hac Academia Patria B. C. D. peregrinamus, semper cordi fuit, cum Jure Civili etiam illud, in quo nos versamur, Jus Patrium seu Prutenicum jungere, ne in nos quadret responsum Quinti Mutii Jcti Servio Oratori datum: *turpe est patrio causas oranti jus, in quo versatur, ignorare, L. 2. §. 43. ff. de Origin. Juris*: Ita hujus nostri Studii documentum aliquod publicum exhibituri, inter alia, hanc præcipuè materiam exheredationis Juris Prutenici nobis elegimus, ut eam in Disputationem Academicam vocaremus, quæ est in *Lib. 5. Juris Prut. Tit. 5. Art. 1. & 2.* descripta, & fere verbotenus ex Jure Civili noviori *Nov. scilicet 115. C. 3. & 4.* excerpta. Superesse tamen adhuc utriusque Juris in hac materia diversitatem aliquam, ex collatione ejus subinde apparebit.

§. II.

Vocem exheredationis quod attinet, in latissima sua significatione omnem ab hereditate alicujus exclusionem denotare videtur; est enim composita à particula ex, quæ hic est exclusiva, & voce hereditatis: adeoque & illam exclusionem continet, quæ fit immediatè à Lege, qua quis hereditate alicujus indignus esse judicatur, quorsum pertinet *Tit. ff. & C. de his, quib. ut indig. hered. auf.* Communiter tamen strictius accipitur pro ea exclusionem, quæ fit per Testamentum; quamvis nec sic satis accuratè. Nam exheredatio

4  
datio in extraneo res inepta esse dicitur Paulo in *L. 132. pr. ff. de Verb. Obl.* Quibus enim Consanguineis pro lubitu Testatoris hæreditas datur vel adimitur, ultimo casu nonnisi improprie exhæredati possunt dici. Proprie itaque & strictissime exhæredatio Paulo in *d. L. prædicatur de Suis duntaxat hæredibus*, liberis scilicet in potestate patria existentibus, §. 2. *Inst. de Hæred. Qualit. & diff.* non emancipatis *pr. & §. 3. Inst. de Exhæred. Liberos*: Illi enim ipso jure & necessarii hæredes fuerunt, & omnino sive voluerint, sive noluerint, hæredes fieri olim tenebantur, & necessario quoque hæredes erant instituendi vel exhæredandi: non alii. §. 3. *de Exhæred. Liber.* Sed postquam per *Nov. 115.* omnibus Parentibus & liberis est necessitas imposta se invicem hæredes instituendi vel exhæredandi; nullo discrimine habito potestatis & sexus, vox exhæredationis latiore accepit significationem, & sic Jure Prut. quoque denotat exclusionem illarum personarum, quibus certa Legitima in Testamento est relinquenda juxta *Lib. 5. Tit. 3.* quæ quidem etiam sui & necessarii hæredes dicuntur, *Pr. L. R. Lib. 5. Tit. 5. Art. 1. §. 1.* non tamen respectu habito ad patriam potestatem vel ad necessariam hæreditatis acquisitionem, prout de Jure Civili: sed ad id, quod necessario sint hæredes instituendi vel exiusta causa exhæredandi.

### §. III.

Et in hæc significatione exhæredationem Juris Prut. describimus, quod sit exclusio liberorum vel Parentum à Legitima alias debita in Testamento, verbis expressis nominatim ex causa à Jure Prutenico comprobata, facta, ad vindicandam ingratitude & injuriam erga se invicem commissam.

### §. IV.



## §. IV.

Alii quidem solent definire exhæredationem per exclusionem ab integra hæreditate, vid. Zoef. Lauterb. & alii *Dd. ad Tit. ff. de Liberis & posthum.* prout hoc ipsa vox exhæredationis videtur inferre. Quia vero sola Legitima liberis & Parentibus ex necessitate juris debetur; & quod Legitimam excedit pro lubitu testatoris etiam citra causam ingratiutudinis auferri potest, *Pr. L. N. Lib. 5. Tit. 3.* Hinc rei convenientius esse judicavimus exhæredationem describere per exclusionem à Legitima, vid. B. Dn. Hopp. in *Com. ad rubr. Inst. de Exhæred. Liber.*

## §. V.

Circa alias descriptionis istius partes explicandas non peculiariter morabimur. Nam ex sequentibus innotescunt; sed progredimur ad exhæredationis divisionem, quam alii multifariam esse volunt. Dividunt enim (1) in eam, quæ fit bona mente, ut liberis consulatur, *L. 18. ff. de Lib. & posth. L. 16. §. 2. ff. de Curat. furios.* & quæ fit notæ causa, *d. L. 18. ff. de Lib. & posth.* (2) In veram expressam, & tacitam seu interpretativam, *§. 7. J. de Exhæred. Lib.* (3) In legitimam & illegitimam. (4) Æquam & inquam. (5) Voluntariam & necessariam, vid. Christoph. Lange *Disp. de Exhæredatione, §. 3.* Nos tamen hac vice hæc divisionibus supersedere possumus. Nam quæ dicitur bona mente fieri, utrum in Foro Prut. admittenda sit? adhuc sub iudice lis est; Certè admodum solet limitari, vid. *Disp. de Legitima Juris Prut. §. 45. & seqq.* & descriptio nostra exhæredationis monstrat, eam non pertinere ad propositum nostrum. Interpretativa autem, qua Matris præteritio loco exhæredationis habetur in *§. 7. Inst. de Exhæred. Lib.* utut à multis per *Nov. 115. C. 3.* non sublata esse statuatur, Lauterb. in *Comp. ff. de inoff. Test.* Huber.

*ad Inst. de Exhered. Liberorum*, §. 2. *Zoef. in ff. de Lib. & posth. n. 23.* In Jure tamen Prut. recepta non est, sed omnibus Parentibus cujuscunque Sexus est imposita necessitas liberos cujuscunque Sexus & potestatis haredes instituendi aut exheredandi, ita ut ex sola ratione præteritionis testamentum nullum sit, *Pr. L. R. d. Tit. 5. A. 1. §. 1. Verb.* Dann so der Testirer jemand's aus obberührten Personen stillschweigend übergeheth / ist sein vermeint Testament nichtig. Illegitima autem & iniqua exheredatio non meretur ita dici, quoniam effectu caret. Nam nihil fere interest de Jure Prut. utrum exheredatio non rite vel inique: an vero plane non sit facta, nisi forsan ad producenda diversa juris remedia, de quibus infra suo loco. Voluntaria vero nonnisi improprie exheredatio est, & ad propositum nostrum non perinet, *vid. §. 2. & 3.*

#### §. VI.

Ex descriptione exheredationis nostræ in §. 3. id consequitur, eam ratione subjecti duplicem esse, liberorum, de qua in *d. Tit. 5. A. 1.* & Parentum, *Art. 2.* Aliis enim Consanguineis liberum est relictum hæreditatem dare vel auferre. Qua in re Jus nostrum recedit à Jure Culmensi, quo Consanguineis quarta pars necessario est relinquenda, *Lib. 3. Tit. 3. C. 16. Conf. Disp. de Legitim. Jur. Prut. §. 29.* Sed numne & fratres vel sorores in casu, quo illis turpis persona præfertur, de exheredatione vel præteritione conquiri possunt? prout hoc in *L. 27. C. de inoff. Testam.* dispositum est, quorsum in Casu à Jure Prut. non deciso recurrendum esse videtur, præcipuè, cum æquitati, cujus in casibus non expressis rationem haberi vult Serenissimus Legislator Prussiacus in Præfat. Juris Prut. I. magis congruum sit, ut frater vel soror præferatur hæredi scripto turpitudine vel macula laboranti.

Ve-

Verum enim vero generaliter in *Jure Prut. L. 5. Tit. 12. Art. 1. §. 1.* constitutum est: Wo ein Testaments = Erbe vorhanden / unangesehen daß derselbe auch frembd und dem Testirer nicht verwandt / wird er doch allen anderen des Verstorbenen nahen Anverwandten in der Erb = Gerechtigkeit præferret und vorgezogen / quibus verbis generalibus qualiscunque hæres testamentarius præfertur Consangvineis quibuscunque, & nulli alii excipiuntur, nisi Parentes & liberi, qui necessario hæredes instituendi, vel ex justa causa exhæredandi, in *L. 5. Tit. 3.* Non possumus ergo contra generalem Juris Prut. sanctionem, exceptione Parentum duntaxat & liberorum firmatam, fratribus & sororibus testaturis, & turpem personam vel macula laborantem instituere volentibus necessitatem imponere, ut eam fratri vel sorori, non nisi ex justa causa præferant. Equidem turpe est cum personis turpibus turpiter conversari, qualis conversatio non præmium sed poenam meretur. Inde tamen minus rectè generaliter inferitur, quod turpitudine aut macula laborans persona non nisi ex triplici causa in *Nov. 22. C. 47.* notata hæres institui & fratri præferri possit. Ista enim ratio plane non quadrat in personam macula duntaxat laborantem, cujus institutio vitio caret: nec semper in turpem personam. Quid si enim testator cum persona turpi hærede instituta nullum turpitudinis habuisset commercium, nec in præmium libidinis vel alterius turpitudinis, sed ex misericordia, vel ut eam hisce mediis à vita inhonesta abstraheret, hæredem fecisset, fratribus vel sororibus præteritis? Certè neque sic institutio vitiosa dici posset, *arg. C. 22. X. de Spons.* Quod si vero talis persona fratri vel sorori esset prælata, quæ sua turpitudine cum testatore reciprocata promeruisset institutionem, sane potior ratio esset Fisci, quam fratrum vel sororum præteritorum.

torum. Nam quoties aliquid turpiter est quæsitum, Fiscus in pœnam id lucranti extorquere potest, quod privatis non conceditur, vid. M. Ant Peregrin. *de Jure Fisci*, L. 2. Tit. 9. & Lib. 7. Tit. 5. n. 32. Sebast. Gvazin *de Confisc.* Bon. *Concl.* 13. *Ampl.* 6. n. 60.

§. VII.

Solis itaque Parentibus & liberis in Jure nostro imposita est necessitas se invicem instituendi, vel si velint, ex justa causa exhæredandi; neque obstant verba inscriptionis Tit. 5. Lib. 5. **Von Enterbung der Kinder / Eltern / auch anderer Personen / denen von Rechts wegen die Erbschaft zustehet / quasi & aliæ sint personæ præter Parentes & liberos, necessario vel instituendæ vel exhæredandæ.** Nam contextus in sequentibus monstrat, per *alias personas* hic non ex latere conjunctas, fratres & sorores intelligi, sed illas, quæ aliàs sub nomine liberorum & Parentum in linea ascendente & descendente continentur, uti sunt in linea descendente **Sohn / Tochter / Enckel** oder andere Personen absteigender lineæ, d. L. 5. Tit. 5. Art. 1. §. 1. & alibi *passim*: in linea ascendente: **Vater / Mutter** und andere Eltern / d. l. Art. 2. §. 1. & sic per consequens, avus, avia, proavus, proavia & reliqui majores: minus recte itaque verba inscriptionis generalia extenderentur ad personas ex latere, quas quis pro lubitu suo in Testamento, propitio Jure Prut, vel instituere vel præterire potest.

§. VIII.

Ex ista inscriptione Juris Prut Lib. 5. Tit. 5. & ex sequente contextu id simul consequitur, istam necessitatem instituendi vel ex justa causa exhæredandi pertinere ad Parentes & liberos, qui sibi invicem succedunt, verb. **Denen von Rechts wegen die Erbschaft zustehet;** neque interest cuiuscunque sint sexus aut potestatis. Quamvis enim Jure Ci-

Civili olim multum discriminis inter liberos utriusque sexus & patriæ potestatis fuerit, ratione expressæ exhæredationis & præteritionis, prout videre est in §. 5. *Inst. de Exhæred. Liberos*: id discrimen tamen hodie est sublatum, & omnibus liberis utriusque sexus jus suitatis & necessitudinis instituendi, aut non nisi ex justa causa exhæredandi datum est. *Pr. L. R. d. l. §. 1. verb. Darinnen solche sui & necessarii der Noth; Erben einer &c.*

§. IX.

Qui verò liberi & Parentes sibi invicem non succedunt, illos quoque non necessario instituendos vel exhæredandos esse arbitramur, argumento a contrario sensu istius inscriptionis desumpto. Excluduntur itaque ab ista necessitate ex justa causa exhæredandi ex numero liberorum nepotes, quorum Parentes adhuc in vivis sunt. Prout enim hi, non illi avo succedunt ab intestato, *arg. §. 5. Art. 1. Tit. 12. Lib. 5. Juris Prut.*: ita si avus inter liberos testari & eorum quosdam exhæredare vellet, non illorum, sed horum duntaxat deberet habere rationem, & exhæredatio filii improbi etiam nepotibus ex eo natis præjudicare deberet, licet horum in Testamento avi nulla expressa fuisset facta mentio, *arg. l. 6. pr. ff. de injust. rupt. & irrit. l. 34. C. de inoff. Testam.* Quo enim jure filius suo delicto excidit, illud ad nepotes transmittere non potuit. Quod tamen limitandum est: nisi filius juste exhæredatus moriatur ante avum testatorem, quo casu nepotes ex eo nati proprio jure avo succederent, §. 2. *Inst. de Exhæred. Lib. Pr. L. R. Lib. 4. Tit. 16. Art. 4 §. 5.* & hoc jure propter delictum Parentis defuncti privari non possent, *arg. Tit. C. ne filius pro Patre.*

B

§. X.

## §. X.

Excluduntur quoque liberi, qui successioni paternæ renunciaverunt, hi namque prout non succedunt ab intestato, ita quoque non necessario hæredes instituendi vel exhæredandi. Conf. Joh. Dauth. in C. *quamvis 2. de Pactis in 610, n. 99.* Hartm. Pistor. p. 4. qu. 6. n. 20. modo renunciatio fit facta jurato vel judicialiter. Pr. L. N. Lib. 5. Tit. 14. Art. 2. §. 2. in fin. Et quamvis id quoque ad Liberos separatos extendat Mey. in Com. ad Jus Lub. P. 2. Tit. 2. Art. 33. n. 130. & seqq. quia separatio de Jure Lubecensi id facit, ut liberi a bonis Parentum separati habeantur pro mortuis, quorum in testamento non necessaria mentio fieri debet; hic tamen est singularis effectus separationis de Jure Lub. qui in nostro Jure Prut. receptus non est. Liberi namque licet apud nos a Parentibus essent separati, nihilominus retinent jus succedendi, modo jurato conferre sint parati, quod a Parentibus acceperunt. Pr. L. N. cit. loc. adeoque si Parentes liberos separatos a reliqua successione exhæredes esse cupiant, illos in bonis separatis hæredes instituant oportet; vid. Hilliger ad Donnell. C. 10. §. 4. lit. Rr. Carpzov. P. 3. C. 9. d. 8. & seqq. quo tamen casu, si in bonis per separationem acceptis quicquid de quantitate Legitimæ deficiat, actio suppletoria liberis non esset deneganda. Pr. L. N. §. 4. pag. 470.

## §. XI.

Liberi quoque incestuosi & ex damnato coitu nati, prout ab utriusque Parentis successione ab intestato arcentur, Pr. L. N. Lib. 5. Tit. 12. A. 1. §. 10. ita quoque ad hanc necessitatem instituendi vel exhæredandi non pertinent. Qui vero illegitime sunt geniti a personis, inter quas poterat esse matrimonium, a Patre quidem præteriri possunt, quoniam iis non integra Patris hæreditas, sed alimenta tantum debentur, Pr. L. N.

*Pr. L. N. L. 2. Tit. 1. A. 2. §. 4.* non æque a matre. Nam inter matrem & filium hujusmodi illegitimum Jus nostrum successionem ab intestato observari voluit, *d. l. §. 3.* Cui consequens est, quod mater hujusmodi filium illegitimum etiam necessario hæredem instituere aut exhæredare teneatur. Quare Testamentum foeminae cujusdam, quæ ex illegitimo, inon tamen plane damnato coitu infantem conceperat, eo præterito, & alio hærede instituto, in Judicio Aulico ex sola ratione præteritionis nullum fuit pronunciatum per sententiam, quam refert *Prænobilis, Dn. D. Grube, Consil. Jud. Aulici graviss. in Com. ad Jus Prut. L. 5. Tit. 5. Art. 1. §. 1.* quæ etiam in Suprema Appellationis Curia hoc in passu fuit confirmata.

## §. XII.

Excipiuntur quoque a necessitate instituendi vel exhæredandi liberi ab extraneo adoptati. Quamvis enim hisce Jus succedendi ab intestato competat; id tamen non ex sanguinis necessitudine, sed ex voluntate Patris adoptivi illis datum est, quæ voluntas mutabilis est usque ad ultimum vitæ halitum; adeoque si in Testamento præteriti vel exhæredati sint, nullo sibi remedio juris consulere possent, vid. *Forster. de Success. ab intest. Lib. 5. C. 2. num. 6.* Quod si tamen in adoptione Pater promississet, se adoptatum ut filium naturalem tradaturum, nec temere ei hæreditatem esse ablatum; utut de Jure Rom. hujusmodi promissio obligatoria non sit, nec libertatem testandi adimat, *L. 15. C. de Pactis, L. 4. C. de inut. Stip.* moribus tamen hocce validum est, adeo ut si adoptatus contra legem conventionis vel præteritus, vel non ex justa causa exhæredatus sit, testamentum impugnare possit. *Conf. Besold. Part. 5. Consil. 154. Qu. 4.*

## §. XIII.

Ad Parentes progredimur, & ex eorum numero a necessitate instituendi vel exhæredandi excipimus illegitimos, qui liberis non succedunt, *Pr. L. R. Lib. 5. Tit. 12. Art. 1. §. 10.* hos namque nec liberi necessario hæredes instituere, vel exhæredare tenentur, sed eos impune præterire possunt: *vid. tamen §. II.*

## §. XIV.

Legitimi Parentes autem cujuscunque sint sexus, gradus & potestatis, omnes sunt necessario instituendi vel ex justa causa exhæredandi; neq; interest, utrum hæreditas liberorum proxime ad illos spectet, nec ne. Verba enim inscriptionis nostræ, denen die Erbschaft von Rechts wegen zustehet/ in linea ascendente non possunt ad proximum successionis gradum restringi. Nam si quis in suo testamento filium suum exhæredem scripsisset, Patre suo præterito; quamvis enim prima ratio succedendi sit filii exhæredati; interim tamen, hoc per exhæredationem a successione excluso, Pater Testatoris adhuc esset admittendus, aut si & hunc testator excludere vellet, deberet eum quoque nominatim exhæredare, *arg. L. 14. pr. ff. de inoff. Testam.* Idem dicendum, si quis Patrem suum ob improbitatem in se commissam exhæredem scripsisset, avo materno, qui adhuc in vivis est, præterito: utut enim hæreditas filii ab intestato defuncti proximo gradu ad Patrem pertinuisset; interim tamen ejus exhæredatio justè facta non potest nocere avo materno, qui deficiente Patre ad successionem nepotis ab intestato proprio jure admittitur, ergo etiam necessario erat instituendus vel exhæredandus.

## §. XV.



## §. XV.

Graviter in utramque partem disputari solet, an, in casu, quo post sinum ruptum Parens superstes, a defuncti filii fratribus vel sororibus germanis excluditur a successione ab intestato in bonis a Parente defuncto profectis, juxta dispositionem Juris Prut, *Lib. 5. Tit. 12. Art. 2. §. 5. p. 808.* filius in testamento necessum habeat Parentem superstitem nominatim instituere vel exheredare, an vero eum impune præterire possit, si extraneam personam heredem institueret, exclusis fratribus vel sororibus germanis? Quamvis enim & hic dici posset, Parentem superstitem in hisce bonis non penitus a successione ab intestato per fratres & sorores defuncti germanos, sed saltem in horum favorem fuisse exclusum, quibus deficientibus jus succedendi Parenti salvum esse relictum, ut adeoque hoc jure nonnisi ex justa exheredationis causa privari possit: *vid. egregia Dissut. Clariss. Dn. Daniel Böse / sub Pras. Magnif. Dn. D. Theod. Pauli, de hac materia habita Anno 1709. d. 26. Sept. Interim tamen in supremis Prussæ Curiiis aliter judicatum fuisse, apparet ex Dissut. de Legitima Juris Prut, §. 36.*

## §. XVI.

Dum vero Jus nostrum omnibus Parentibus & liberis necessitatem imposuit se invicem hæredes instituendi vel exheredandi, hoc ipso sustulit Controversiam Doctorum gravissimam, utrum post *Nov. 115.* adhuc supersit discrimen inter Patris & matris, vel ascendentium aliorum per matrem, præteritionem: Olim enim solius Patris præteritione testamentum ejus reddebat nullum: Matris autem silentium loco exheredationis habebatur, §. 7. *Inst. de Exhered. Liber.* quod discrimen per *Novellam 115.* sublatum esse negant Franz. *Ex. 6. Q. 3. Lauterb. in Comp. ff. de Inoff. Test. & plures alii:*

B 3

vidi.

vid. supra §. 5. Affirmant B. Hopp. in *Com. ad Inst. de Exhered. Liber. §. fin.* Schilter. *Ex. 38. ff. §. 52.* Stryk. in *Caut. Test. C. 19. §. 5.* Horum itaque sententiam Jus Prut. comprobavit generaliter citra sexus discrimen constituens, ut testamentum Parentum sit nullum ex capite præteritionis, *d. l. §. 1. p. 762.*

### §. XVII.

Objectum exhæredationis, in quo Parentum vel liberorum exhæredatio locum habere potest, constituitur per Inscriptionis *Lib. 5. Tit. 5. verbum Erbschaft*: de qua alias quis testari potest; quo nomine alias Jure Prut. bona allodialia & Culmensia venire solent, & bonis feudalibus contradistingvuntur, *Lib. 7. Tit. 2. §. 12. & 13.* Excipiuntur itaque bona feudalia, de quibus non valet testamentaria dispositio, nisi cum consensu Domini directi facta. Adeoque si Pater nobilis filium improbum etiam ab hisce bonis feudalibus per exhæredationem excludere vult, consensum Principis vel Senioris desuper impetrare necessum habet. *Pr. L. R. L. 7. Tit. 2. §. 14.* Excipienda quoque sunt bona fideicommissio obnoxia: imo omnia alia, de quibus non licet testari, in illis etiam exhæredatio locum sibi vindicare nequit.

### §. XVIII.

Ad formam seu modum exhæredandi progredimur, qui in eo consistit, (1) ut exhæredatio fiat in Testamento; Ubiunque enim in Jure nostro mentio fit exhæredationis, illam in Testamento factam esse supponitur, & negatur in Codicillis fieri posse. *Pr. L. R. Lib. 5. Tit. 10. Art. 1. §. 1. in fin.* Inde consequitur, quod qui facultate testandi destituuntur, (qua carent infantes: impuberes de Jure Prut. masculi usque ad 18. foeminae usque ad 14. annum inclusive: liberi in patria potestate existentes: excepto peculio castrensi & quasi

ca-

castrensi : furiosi : mente capti : surdi & muti simul ; rei  
criminis læsæ Majestatis : incestuosi : hæretici : prodigi :  
quos *Jus Prut. Lib. 5, Tit. 1, Art. 1, enumerat ;*) nec exhæredare  
possint.

§. XIX.

Cum vero testamenta varii sint generis publica & pri-  
vata, solennia & minus solennia ; gravis est dubitatio : an  
exhæredatio præcise in testamento publico vel solenni de-  
beat : an vero etiam præcipue a Parentibus in Testamento  
privilegiato possit fieri ? hoc affirmat Carpzov. *P. 3, C. 4, de fin. 18.* & B. Dn. Stryk. *in Caut. Testam. C. 19, §. 12.* ex hæ-  
potissimum ratione, quia nullibi prohibitum est in testa-  
mentis minus solennibus exhæredationes fieri. Conf. Hahn  
*de Dispos. Parent. inter Liberos, th. 62.* & idem effectus hisce te-  
stamentis minus solennibus ex privilegio tribuitur, qui se-  
quitur ex testam. solenni. *Mev. ad Jus Lub. P. 2, Tit. 1, Art. 2, n. 27.* Negat tamen Struv. *Ex. ff. 36, th. 9.* ex contraria fere-  
ratione : quia nullibi indultum est Patri, ut in tali minus  
solenni testamento exhæredare possit liberos. Quod vero  
in *L. 10, C. Fam. Ercisc.* constitutum est : *filios Patris testamen-  
tum rescindendi, si hoc inofficiosum probare non possunt, nullam  
habere facultatem,* id magis ad solenne, quam minus solenne  
testamentum pertinere videtur : in minus solenni autem  
hoc quidem Patri concessum est, ut possit liberos instituere,  
non vero, ut liberos quoque exhæredare possit ; *in Nov. 107, C. 1.*  
quod ergo Patri concessum est privilegium, hoc in  
odium liberorum torquendum non est. Conf. Georg. Accac.  
*Enenkel de Priv. Parent. & Lib. Priv. 14, P. 1, C. 1, n. 5.* In Jure  
nostro Prut. nihil hac de controversia decisum est : quan-  
quam enim testamenti paterni inter liberos fiat mentio,  
*Lib. 1, Tit. 35, Art. 8, §. 16.* & dicatur : *Die Frauens, Personen*  
*wers*

werden in Testamenten zu zeugen nicht zugelassen: aber in Codicillen und in denen Testamenten / so von den Eltern unter den Kindern auffgerichtet werden / darin keine sonderliche Sollemnität der Rechte vonnöthen / mögen sie wol zeugen / wie unten in causa testamentaria zu befinden. Veruntamen inferius, ubi de materia Testamentorum in Jure Prut. *Lib. 5.* agitur, nihil quicquam de Testamento paterno invenire licet, ut adeo dubium sit, quid de ista quaestione ex Jure nostro sit statuendum. Quare tutius esse judicamus, ut Parens liberos exhæredaturus, hoc faciat in testamento solenni, ni velit hæredes scriptos per omnia judicia, processus molestia defatigari, & tandem in sine fortunam arbitrii Judicis experiri.

## §. XX.

(2) Ad formam exhæredationis requiritur, ut fiat nominatim verbis expressis & dispositivis, *Pr. L. R. L. 5. Tit. 1. A. 1. §. 1.* verb. mit benandtliden ausgedruckten Worten lauter bemelden und anzeigen zc. Quem in finem apud Romanos usitata erat formula: *Filius meus Lucius Titius exheres esto, L. 23 §. 2. & 5. L. 13. §. 2. L. 14. §. 2. L. 15. ff. de Lib. & posth. L. 68. in fin. ff. de Hered. instit.* (a) Nominatim autem fieri debet exhæredatio, ut constet, de quo exhæredando testator in suo testamento locutus fuerit. Nam si alias v. gr. Pater in suo testamento filium exhæredandum appellativo & generali nomine insigniverit, dicendo: *filiius meus exheres esto; pluribus existentibus filiis, neuter eorum ex benigna Juris interpretatione pro exhæredato habendus est, L. 2. de Liberis & Posth.*

## §. XXI.

Verbis dispositivis (3) exhæredatio peragenda est, ut de serâ testatoris voluntate constet. Nam si v. gr. dixisset:

Ich

Ich hätte meinen Sohn Lucium Titium wol enterben/ weil er mich geschlagen: Ich wil ihm aber dennoch aus Väterlicher Güte ein Legatum vermachen/ non valet exhæredatio. Hifce namque verbis saltem declaravit, quid facere possit Testator: non vero quod exhæredationem juxta præscriptum Juris Prut. verbis dispositivis peregerit, & ita quoque in causa Georg. Egidii Heisers l. contra seel. Egidii Pechen Witbe justificatum Anno 1704. d. 20. Nov. & decretum fuit 1708. d. 9. Octobr. Idem dicendum, si Pater coram pluribus testibus manifestaverit, quod filium immorigerum exhæredare velit, illud tamen non fecerit; nulla enim inde erui possët exhæredatio, nec ex solo Testatoris proposito filium exhæredandi, reliquis liberis competit facultas, istum hæreditate paterna privandi, licet probare possent sufficientem Patri fuisse causam exhæredandi, *Mev. P. 5. Dec. 1st.* propositum namque exhæredandi, non est exhæredatio verbis dispositivis facta.

## §. XXII.

Inde quoque consequitur, quod Pater non possit filium sub conditione exhæredare, v. gr. meinen Sohn Lucium Titium enterbe ich/ falls er Meviam heyrathen möchte: Nam præterquam quod istius conditionis neglectus, non est sufficiens causa exhæredationis; prout infra comprobabitur: talis exhæredatio conditionalis non potest dici certo judicio verbis dispositivis facta, *L. 18. pr. ff. de Bonor. Poss. Contr.* & quod in conditione est, non dicitur esse in dispositione, quare filium pure exhæredandum esse constituitur in *L. 3. §. 1. ff. de Lib. & Posth.*

## §. XXIII.

Limitat quidem hoc, & Patri sub conditione filium hæredem instituire volenti suppeditat Cautelam B. Stryk, in *Tr.*

C

de

*de Caut. Testam. C. 19. §. 8. in fin. ut scilicet sub contraria conditione eum heredem instituat, & conditione deficiente exhæredationem adjiciat, L. 4. C. de Substit. & Instit. L. 80. ff. de Hæred. inst.* Quæ tamen Cautela est restringenda ad eam casum, quo Pater filium in integra hæreditate instituit, & quidem sub contraria conditione, quæ est in filii potestate. Nam si sub casuali ita institueretur, hac deficiente filius sine culpa sua hæreditate paterna excideret, quod Leges non admittunt. Hopp. *in Com. ad §. 9. Inst. de Hæred. inst.* Quod si vero Pater in Legitima duntaxat filium instituisset, sub nulla alia conditione contraria hanc ei auferre potest, quam quæ justam exhæredationi causam præbet. Brunnem. *in Com. ad L. 3. ff. de Lib. & Posth. n. 8.* Adeoque in Legitima filium sub hac quidem conditione, *si Lenocinium non exercuerit &c.* instituere & in contrarium casum exhæredationem addere potest Pater; non tamen sub hac: Si Mæviam non duxerit. Alias Pater facile ex alia qualibet jure non approbata causa filium sic ab hæreditate & Legitima posset excludere.

#### §. XXIV.

Per ista in §. 20. recensita verba Juris Prut. id quoque præscriptum esse videtur, ut Pater exhæredare volens filium, & plures hæredum instituendorum gradus facere, filium ab omnibus gradibus vel ante vel post institutiones earumque substitutiones excludat. Alias enim si Pater ita dixisset: *Titius hæres esto: Filius vero meus, Lucius, quia me verberavit ex hæres esto: si Titius hæres esse nolit, Mævius hæres esto: si Mævius nolit, Sempronius hæres esto.* Hoc casu, tribus gradibus institutionum factis, filius quidem a primo gradu per exhæredationem exclusus est, si Titius hæres Patris fiat: At vero eo repudiante vel ante testatorem mortuo, filius non pos-

posset excludi per substitutum Mevium, nedum per Sempronium, quia a secundo & tertio gradu a Patre non expresse fuit exhæredatus. *Conf. L. 43. §. 2. ff. de Vulg. & Pupil. Subst. Zoef. ad Tit. ff. de Lib. & Posth. Hered. n. 6.* Quod si itaque Pater filium ab omnibus gradibus institutionum per exhæredationem remotum esse velit, debet hoc clarius exprimere, vel ab initio, ante institutionem; quia sic exhæredatio ab initio posita, videtur facta ex causa fundandi testamenti, *L. 3. §. 2. ff. de Liberis & Posth. Hered.* vel post omnes gradus institutionum & substitutionum. Nam clausula in finem rejecta præcedentia declarare solet regulariter Zoef. *cit. l. Conf. B. Stryk. d. Tr. C. 19. §. 15.*

#### §. XXV.

Alii præterea requirunt, ut exhæredatio non ex nimia animi commotione, sed consulto fiat, vid. *Lange Diss. all. §. 13.* Cui etiam succenturiari videtur *Jus Prut. Lib. 5. Tit. 5. Art. 1. §. 12.* admonens Parentes, ut non festinanter, sed ex consilio prudentiorum suscipiant negotium exhæredationis; quo ipso obviam itur novercalibus blandimentis, quibus Parentes facile solent commoveri ad immeritam liberorum exhæredationem: ne itaq; Parens exhæredaturus filium, incurrat suspicionem istam cætus sit ut abstineat a verbis imprecativis, *B. Stryk. cit. l. §. 10.* Veruntamen illud monitum *Juris Prut.* non ingreditur formam exhæredationis, & non possumus adstipulari ei, quod *Lange in d. Diss. ex Joh. Baptista Costa de Facti scientia Diss. 45. Cent. 1. n. 11.* (quem tamen evolvere non vacat) concludit: non valere exhæredationem, nimia ex animi commotione factam, etiam si legitima causa adsit. Nam utrum Parens ex nimio & inconsulto calore iracundiæ exhæredationem filii susceperit nec ne?

aliunde dijudicari nequit, quam ex merito filii: quod si tantum & tale est, ut ea propter filius juste possit hæreditate paterna privari, exhæredatio in consulto calore facta nequit dici, *arg. L. 19. C. de inoff. Testam. Enenkel de Privil. Parent. & Lib. Priv. 14. Part. prior. C. 14. n. 6.*

## §. XXVI.

Ad formam exhæredationis (3) requiritur, ut fiat ex justa causa, eaque in testamento expressa, qua deficiente testamentum & in eo facta exhæredatio nulla est: *Pr. L. R. d. L. 5. Tit. 5. A. 1. §. 2. verb.* Sie zeigten dann die Ursach solcher Exhæredation mit ausgedruckten Worten. Quæ vero sint justæ causæ exhæredationum, nec ne? olim arbitrio judicis erat relictum; sed Justinianus in *Nov. 115.* in liberis exhæredandis numero quatuordecim, *C. 3.* in Parentibus octo, *C. 4.* determinavit: ex qua Jus nostrum quidem quaterdenarium exhæredationis causarum numerum in persona liberorum, *d. l. Art. 1.* & octonarium in persona Parentum, *d. l. Art. 2.* mutuavit, sed ipsas exhæredationis causas aliquando aliter explicat & extendit, prout ex collatione utriusque textus mox apparebit.

## §. XXVII.

Prima causa liberos exhæredandi est in *d. A. 1. §. 2. verb.* Wann ein Kind seinen Vater und Mutter/ Groß. Vater und Groß Mutter u. freventlich geschlagen / und gewaltsame Hand an sie geleeget; generalioribus verbis hæc causa in *Nov. 115. C. 3. §. 1.* breviter refertur: *si quis Parentibus suis manus intulerit.* Evidentius itaque ex Jure nostro & quidem ex voce *freventlich*; apparet, hic sermonem esse de illatione manus ex malitioso proposito: non vero de conatu seu



seu manuum elevatione, neque de culpa vel necessaria manuum illatione. Adeoque si filius Parentem sui vel patriæ aggressorem adhibito moderamine inculpatae tutelæ a se vel Republica amoliat, & hunc in finem violentas ei manus inferre necessum habeat, eapropter de Jure nostro non posset exhæredari, quicquid etiam de Jure Civili dicat Enenkel *d. Tr. Privil. 14. Part. prior. C. 14. n. 8.*

### §. XXVIII.

Secunda causa est in *ead. §. 2.* Wann ein Kind oder Enkel u. seiner Eltern einem eine schwere uneheliche trügliche Schmach zugemessen/ und also freventlich injuriert hätte/ quæ in *Nov. d. §. 2.* iisdem fere verbis sic exprimitur: *si gravem & inhonestam injuriam eis ingesserit.* Utrumque textum convenire, & de injuria verbali intelligendum esse, indubitatum est. Quæ vero sit gravis & inhonesta injuria, non æque facile determinari potest. Neque enim *cuiquam mortalium injuria sua parva videntur, multi eas gravius æquo habuere*, Sall. in *Bello Catil. C. 51.* Præsertim vero injuria alias levis, Parentibus illata, atrox solet haberi, §. 9. *Inst. de Injuriis, L. 7. §. 8. & L. 17. §. 3 ff. eod.* Hinc multi hanc causam extendunt ad quamvis injuriam Parenti illatam, licet alias levis sit, vid. Gothofr. in *not. ad d. Nov.* Veruntamen minus recte: Nam in utroque textu gravis & inhonesta injuria requiritur, non ex persona, cui infertur, sed ex aliis quoq; circumstantiis æstimanda, & maxime utrum existimationem & famam Parentis minuat? hinc si Patri objecerit defectum naturalem, vel ei irriferit, utut sic quoque filius graviter peccet, non tamen ob hujusmodi peccatum a Parente posset exhæredari. B. Stryk. *d. l. §. 26.* Conf. Dn. Thomasi *Diff. de Causis Noric. adim. Leoit. §. 9.* Hinc nonnullis insufficientis

videtur causa, quod Cham saltem viderit, verenda Patris sui ebrii fuisse nudata, nec illa, prout Sem & Japhet fratres fecerunt, verecunde operuerit, ut propterea cum omnibus suis posteris maledictionem paternam incurreret, *Genes. IX.* Hinc aliud quid gravius ab eo commissum esse comminiscuntur, quod Joannis Annii Viterbensis Beroius *Lib. 3.* refert: itaque nactus opportunitatem, cum Noa Pater madidus jaceret, illius virilia comprehendens, taciteque submurmurans, carmine magico Patri illisit, simul & illum sterilem perinde atque castratum effecit, neque deinceps Noa sœmellam aliquam secundare potuit, quod Dominis Theologis discutiendum relinquimus.

S. XXIX.

Tertia causa in d. §. 2. Wann ein Kind oder Enckel seine Eltern zc. peinlichen beklage: Es wäre daß eine solche Ubelthat und Laster/ so wieder die höchste Obrigkeit und Majestät/ nemlich wieder Uns den Landes Fürsten und Unser Fürstenthum oder den gemeinen Nutz wäre sürgenommen worden: In *Nov. d. §. 3. si eos in criminalibus causis accusaverit, que non sunt adversus Principem vel Rempublicam.* Uterque textus inter se convenit: quamvis enim vox peinlich in Saxonia significet, was über Haut und Haar gehet/ *Carpzov. Proc. Tit. 2. A. 1. §. 69.* & adeoque crimina, quorum pœna est pecuniaria eo non pertineant; interim tamen prout in Jure Civili etiam illud criminale est, quod multam meretur, *arg. L. 2. & fin. C. de modo multæ.* ita quoque in Jure nostro Prut. hæc vox latius capitur & extenditur etiam ad accusationem criminis, cujus pœna est infamia & pecuniaria Fiscalis, *conf. Pr. L. R. Lib. 6. Tit. 1. A. 1. §. 2.* & sic filius quoque meretur exheredationem, qui Patrem criminis falsi vel levioris, cujus pœna pecuniaria & infamia est, accusaverit. In neutro textu  
dist. n-

distingvitur, utrum criminis accusatio sit vera, an vero calumniosa. Nam etiamsi Reipublicæ intersit crimina manifestari, ne maneat impunita: attamen interest quoque Reipubl. ne hoc fiat a personis, quibus id est interdignum. Et quia is quoque accusare videtur, qui in causa est, ut quis accusetur, qui accusatorem instruit, adjuvat, & ei testimonium perhibet; hinc ista causa exheredandi merito etiam extenditur ad filium, qui sic accusatorem Parentis sui adjuvit, vel contra eum in causa criminali testimonium dixit, Frantzk. *ad Tit. ff. de inoff. Test. n. 78.* nisi ad id a Iudice sit coactus, vel vi officii Parentem accusaverit, B. Stryk. *d. Tr. C. 10. §. 27.* In utroque textu expresse quoque excipitur crimen læsæ Majestatis & perduellionis, quapropter filius Parentem accusans, exheredari nequit, modo non sit calumniosa accusatio.

### §. XXX.

Quarta est *in cod. §. 2.* Wann ein Kind oder Enckel sich zu den Zauberern gesellete/ auch bey denselben wohnete/ und selbst mit Zauberey oder Heyenwerck umgienne: *in Nov. all. §. 4. si cum maleficis hominibus ut maleficus conversatur.* Per maleficos autem non quævis colluvies malorum est intelligenda, prout hanc causam Sichard *in C. ad auth. non licet C. de Lib. prat. vel exhered. n. 3.* ad colluviem Anabaptistarum, & B. Dn Stryk §. 28. ad colluviem furum extendit; sed venefici: incantatores: præstigiatores: qui magicis artibus contra salutem hominum varia nefanda moliuntur, & in Jure Civili eum Mathematicis male conjunguntur. Conf. *L. 4 C. de Malef. & Math.* Peculiaris namque videtur subfuisse ratio, quare hocce maleficium inter causas exheredandi fuerit relatum: non alia delicta filiorum, quod forsitan liberi  
ma-

malefici suas artes in necem quoque Parentum exercuerint, ut eo citius successionis Parentum fierent compotes. Quorsum ni fallor pertinet, quod ait Poeta:

*Lurida terribiles miscent aconita noverca,  
Filius ante diem patrios inquit in annos.*

Hoc pacto adeoque non sufficeret filium reum esse maleficii, sed ut propterea exheredari posset, requireretur, ut hocce maleficium exercuerit in perniciem Patris; quod expressè in causa secunda exheredandi Parentes desideratur, *d. l. Art. 2 §. 1. verb.* Zum andern/ wann die Eltern ihre Kinder mit Zauberey &c. zu ertöden sich unterstünden. Alias si verba Juris Prut. circa hanc quartam exheredationis causam ita generaliter prout jacent, essent accipienda, otiosa hæc esse videretur: non enim tantum requiritur, ut filius artem magicam exercuerit, sed etiam ut cum magis commoretur, & penes eos habitet; sed ubinam hodie habitant hujusmodi malefici homines? Si dicendum, quod res est, hæc causa antiquitus videtur esse in Jus nostrum eapropter relata, quia olim integri Vici & Civitates hujus criminis suspitione laborarunt: quo si & filius se conferret, eapropter a Patre posset exheredari, modo convinci possit, quod revera etiam hujus criminis reus sit.

§. XXXI.

Quinta est in *d. l. §. 3.* Wann ein Kind oder Enckel &c. seiner Eltern einem nach dem Leben stellet/ und dieselbe mit Gift oder in andere Wege umzubringen sich unterstünde: in *Nov. d. §. 5. si vite Parentum suorum per venenum aut alio modo insidiari tentaverit.* Sufficit hic conatus, licet Pater ex insidiis filii non perierit: non tamen sufficit filium cum ini-

25  
inimicis Parentis amicitiam contraxisse, nisi probari possit,  
quod filius cum inimicis Parentis in necem ipsius conspira-  
verit, *arg. L. 28. C. de inoff. Test.*

§. XXXII.

*Sexta in d. S. 3.* Wann ein Kind oder Enckel sich zu sei-  
ner Stieff-Mutter oder Stieff-Vater geleet / und mit ihm  
die Werke der Unkeuschheit getrieben hätte: *in Nov. d. S. 6.*  
*hæc causa paulo aliter refertur: Si noverca sua aut concubinae*  
*Patris filius sese immiscuerit.* Hic quidem filii saltem fit men-  
tio, non filia: non nepotis vel neptis; veruntamen & hos  
iusta interpretatione sub nomine filii contineri, dubium non  
est. *L. 84. & L. 201. L. 220. ff. de Verb. Sign.* In eo tamen hic  
est insignis differentia utriusque Juris, quod in Nov. Justi-  
niani hic fiat mentio concubinae Patris, quæ tamen in Jure  
nostro Prut. omissa est. Nam Jure Civili concubinatus  
erat licitus, *Tot. Tit. ff. & C. de Concub. L. 5. C. ad Sctum Orf.*  
quare Patri concubinario per filium non debuit fieri injuria:  
Sed moribus nostris concubinatus est abrogatus & prohi-  
bitus, *Pr. L. N. Lib. 2. Tit. 5. §. 3.* adeoque non opus fuit  
violationem concubinae paternæ inter causas exheredandi  
filii referre: Et si Pater contra Juris nostri prohibitionem,  
turpem haberet cum aliqua scemina consuetudinem, quam  
etiam filius cognosceret carnaliter, utut hic eapropter reus  
fieret incestus, Brunnem, *in auth. non licet C. de Liberis præter*  
*n. 12.* Patri tamen sic injuria facta dici nequit, & ipse contra  
Leges peccans, in hoc casu ubi propriam allegaret turpitu-  
dinem, Legum auxilium vix posset implorare. Conf.  
Eenenkel *d. l. n. 13. vid. tamen B. Stryk. l. cit. §. 30.*

D

§. XXXIII.

## §. XXXIII.

Septima in d. §. 3. So ein Kind oder Enckel seine Eltern verrathen und angeegeben / und dadurch sie zu schwerem Schaden und Nachtheil gebracht hätte: quæ causa iisdem fere verbis in d. Nov. §. 7. exhibetur: *si delator contra Parentes filius extiterit, & per suam delationem gravia eos dispendia fecerit sustinere; nisi quod & hic filii duntaxat mentio fiat: in Jure Prut. autem liberorum & nepotum; sed & hic filii appellationem ad omnes liberos extendendam esse, nemo negaverit. Hoc tamen notatu haud indignum esse videtur, quod vox verrathen restringenda sit ex voce angeben; Quamvis enim etiam qui accusat criminofum, cum quoque prodere dici possit: hic tamen proditio conjungitur cum delatione grave damnum inferente, utque adeo appareat differentia hujus & tertix causæ exhæredationis, de qua supra §. 29. Illa enim pertinet ad proditorem & criminis accusationem, quâ existimationis: hæc vero, qua honorum fortunæ infertur jaçtura. Quantitas damni hic non exprimitur, adeoque judicis arbitrio relinquenda est.*

## §. XXXIV.

Octava in §. 4. l. c. Wann die Eltern einer Schuld oder anderer Sachen halber in Haftung und Gefängniß kommen / und ein Kind oder Enckel / so es darumb angesucht worden / seinem Vermögen nach seine Eltern nicht wieder ausbürgen wolte / auch sonst sich nicht bestes Vermögens befließe / damit sie der Gefängniß gelediget werden möchten. *Nov. d. §. 8. si quemlibet de predictis Parentibus inclusum esse contigerit, & liberi qui possunt ab intestato ad ejus successionem venire, petiti ab eo vel unus ex his in sua eum noluerit fidejussione suscipere, vel pro debito in quantum esse, qui petitur, probabitur idoneus. Inter utrum.*

utrumque jus hoc in casu videtur esse discrimen, (1) quod in Nov. inclusionis fiat mentio: at in Jure nostro insuper & carceris, (2) quod in Nov. non sit expressa inclusionis paternæ causa: at vero in Jure nostro exprimitur: sive Pater ob debitum, sive ob delictum in carcerem sit coniectus, (3) in Nov. additur liberis: *qui possunt ab intestato ad Parentis successionem venire*, quod in jure nostro est omissum; Interim tamen hoc discrimen apparens est, & utriusque idem est sensus. Sive enim in nuda custodia, sive in squalido carcere detineatur Pater: sive ex debito, sive ex delicto, nihil refert, & ex utroque jure filius, quod Patrem eo modo inclusum fidejussione vel alia ratione possibili non liberaverit, posset a successione paterna ab intestato per exheredationem excludi; de hac enim hic quaestio est, adeoque verba, quæ in Nov. filio de successione ab intestato adjiciuntur, Lator Prussiacus tanquam otiosa & superflua omisit.

#### §. XXXV.

Utroque in Jure supponitur (1) Parentem esse inclusum; neque enim filius, pro Parente mutuum contrahere volente, fidejussorem detrectans, ea propter mox exheredari posset. Finkelth. *Obs. 99.* (2) Filium rogatum fuisse, ut Parentem e carcere liberet. Quodsi enim Pater incarceratus filium nollet dignari imploratione, non posset illum, quod non sponte se obtulerit fidejussioni, exheredare. (3) In filii potestate fuisse situm. Nam prout alias ad impossibilia nemo obligatur, ita filio non est vertendum vitio, si in ipsius potestate Parentem ex carcere liberandi, non fuerit situm.

D 2

§. XXXVI.

## §. XXXVI.

Et quemadmodum Imperator *in d. Nov.* hanc causam exharedandi ad solos filios & nepotes: non ad filias pertinere voluit: verb. *hoc tamen, quod de fidejussione censuimus, ad masculos tantummodo liberos volumus pertinere*: Ita quoque LLator Prussiacus hanc eodem modo restrinxit: verb. **Doch hat solche Erledigung aus Bürgung allein in Manns-Personen statt**: addita ratione: **Die Töchter und Weibspersonen mögen sich für Niemand's verbürgen**. Quae quidem ratio *in Nov. all.* expressa non est, sed aliunde nempe ex *L. 1. ff. ad SCtum Vellejanum* est desumpta. Quia vero ista ratio non est universalis; penitus enim cessat in foemina mercatrice: & in aliis SCtum illud tantum non est penitus abrogatum, vid. Dn. Thomaf. *Diff. de exiguo usu scii Vellejani in foris Germ.* §. 32. facile enim foemina de eo edocta, cum consensu mariti & curatorum ei posset renunciare, & sic efficaciter intercedere, atque Parentem incarceratum liberare; hinc non video rationem, quare foemina negligens hocce officium melioris conditionis esse debeat, quam filius: præcipue cum verba Juris Prut. Auch sonst sich nicht bestens Vermögens befließe / damit sie der Gefängniß gelediget werden möchten / æque ad filiam, ac ad filium pertineant. Lubens tamen fateor, quod sub hoc prætextu SCti Vellejani filia facile se ab isto officio Parentem ex carcere intercessione sua liberandi excusare in foro soli possit, dicendo, sibi id per duritiem mariti & Curatorum suorum, non licuisse: at filius miser, cui est imperiosa uxor, non excusaretur, sed sibilo exciperetur, si diceret, in sua potestate per duritiem uxoris non fuisse situm, Parentem fidejussione sua ex carcere liberandi; propriam enim sic turpitudinem & imbecillitatem allegare videretur illis, qui ignorant,  
 vel



vel scire dissimulant, quam potens sit Sexus, qui communiter dicitur sequior & imbecillior.

§, XXXVII.

Nona est *in eod.* §. 4. Wann Kinder ihre Eltern an Aufrichtung ihrer fürhabenden Testament und letzten Willen zu verhindern / und ihnen ein solches zu verwehren fürfestlich und verharlich sich unterständen / quæ eodem modo *in Nov. d.* §. 9. exponitur: *si convictus fuerit aliquis liberorum ex eo, quia prohibuerit Parentes suos condere testamentum.* Et haec non est diversitas utriusque juris in casu, quo nihil obstante hac filii prohibitione, actum testandi peragere, & testamentum perficere potuit: utroque in Jure disponitur, quod Pater possit liberos ob impedimentum testandi antea structum exheredare. Sed in casu, quo liberi impediendo testamentum Patris hoc effecerunt, ut Pater intestatus sit mortuus, insignis est differentia utriusque juris. *In Nov. d. l.* Constituitur, ut hoc casu vel ab hæredibus aliis, vel a Legatariis, aut quorum interest probato, *secundum alias Leges super hoc positas, talia negotia terminentur.* Quæ verba communiter sic solent explicari, quod Imperator filium, qui testamentum paternum impedivit, hæreditate paterna indignum, *ex L. 1. & 2. ff. si quis aliq. test. & L. 3. §. 5. ff. ad Scitum Trebell.* judicandum, & ejus portionem hæreditariam Fisco concedendam esse voluerit. Conf. B. D. Stryk. *d. Tr. C. 19. §. 33.* Licet dissentiat Dn. Thomas. *in Diss. all. de Causis Noric. adim. Leg. §. 19.* At Jus nostrum Prut. eorum, qui Parentes impediverunt testari portionem illis adjudicat, quibus Pater in testamento eam relinquere voluit, verb. *Als dann sollen selbige Kinder oder Enckel auff Beklagung und gründliche Beweissung derselben von Unsern Ober- und Unter-*

Gewichten nicht weniger aller ihrer angemessnen Erb-Gerech-  
tigkeit / darin der Eltern vorhabende Verordnung verhindert  
worden / entsetzet / und denen gefolget werden / welchen es der  
Verstorbene verschaffen wollen.

S. XXXVIII.

Decima est *in d. §. 4.* Wann ein Kind oder Enckel sich  
wieder seiner Eltern Willen / in ein leichtfertiges üppiges Leben  
und Wesen begeben. *Aliter hæc causa in Nov. d. §. 10. exhibetur: si præter voluntatem Parentum inter arenarios vel mimos sese filius sociaverit, & in hac professione permanserit: Loquitur itaque Imperator de filio duntaxat, arenariis & mimis se sociante: at Jus nostrum de qualibuscunque liberis vitam turpem viventibus. Arenarios, qui apud Romanos in arenam cum bestiis vel cum aliis hominibus in pugnam cruentam spectaculi causa prodibant, hodie non habemus, & dubitamus, an cum istis recte comparari possint nostri pugiles, Lanistæ & gladiatores, die Fechter / Feder-Fechter / Luy- und Mary-Brüder / quorum pugna non adeo est cruenta, & eorum professio moribus nostris non est turpis, vid. Dn. Thom. d. Diff. §. 32. Mimi, si vim vocis spectent, sunt, qui aliorum actiones imitantur & explicant, adeoque eorum nomen quidem & nostris scenicis Comædiis & Operistis applicari posset: non tamen eorum jus. Nam hodie infames non habentur, sed aliquando apud Magnates in magno sunt pretio. Hinc Jus nostrum exempli loco alios refert, quorum *in Nov.* mentio facta non est: Frauen-Wirths / Nachrichten / Büttel / Gauckler &c. Lenones quidem apud nos non telerantur: & ob unicum lenocinii actum exercitum filius vel filia posset puniri, non tamen mox a Parente exhaeredari: quia ad id in Textu nostro requi-*

requiritur, ut Lenocinio se mancipaverint, quod de unico  
 aſſu dici nequit. Propterea tamen hæc cauſa exhæredandi  
 non plane eſt otioſa; poſſent enim liberi ſe ad alia loca,  
 ubi forte Lenocinia & lupanaria tolerantur, ſe contuliſſe, &  
 vitam hanc luxurioſam in opprobrium Parentum vixiſſe;  
 eapropter itaque ut exhæredari poſſint, conſtitutum eſt.  
 Carnificum officium in Jure noſtro *L. 6. Tit. 11. A. 3. S. 1.* de-  
 ſcriptum, turpe & indecorum non eſt: ipſi tamen cum ſuis  
 miniſtris, qui hic nomine der Büttel inſigniuntur, abomina-  
 biles habentur, & inter viles perſonas numerantur, quod  
 morticinam & ſordida negotia tractent, indeque lucrum quæ-  
 rant. Gauckler proprie ſunt præſtigiatores, qui arte dia-  
 bolica & ſupernaturali, mirabilia vulgo peragere videntur,  
 & ſic viliffimæ plebi riſum & admirationem cauſantur, ut  
 eam pecunia emungant, vid. Speud. *Speculum Jurid. Polit. ſub*  
*voce Gauckler*: Huc adeoque recte referri poſſunt die Lei-  
 nen-Tänzer / Luſſiſpringer / Taſchen-Spieler / Pickelhärings-  
 quia, quod corporis agilitate peragunt pecuniæ cauſa, id  
 arte ſupernaturali & tantum non diabolica peractum vulgo  
 videtur, & propter hanc impoſturam aliis inutilem & da-  
 mnofam, ſibi autem lucroſam hujusmodi homines habe-  
 tur abominabiles & contemptibiles; ad quos pertinet clau-  
 ſula generalis Juris noſtri in hac decima cauſa ſubjecta, und  
 wann er dergleichen anderer verachteter Mann würde. Ex  
 qua, propter quamvis vitæ profeſſionem moribus noſtris  
 ignominioſam & indecoram liberi poſſent a Parentibus ex-  
 hæredari.

### §. XXXIX.

Id ſimul inde conſequitur, quod filius exhæredationi  
 ſit obnoxius, non qui talia agit, ſed qui talia proficetur,  
 qui-

quique vilissimæ plebi pecuniæ causa hujusmodi exhibet spectacula. Non ergo mox infamis est, & exheredari potest filius, qui curiositatis gratia lusum peræ, vel sanitatis causa artem funambularem &c. addidit, & se suosque amicos ea delectat; Sic enim Parenti nullam infert ignominiam. Utrumque Jus in eo convenit, quod huic causæ addat limitationem: nisi Pater ejusdem fuerit professionis, tunc enim mores, quos in se probat, in filio improbare & per exheredationem vindicare nequit.

## §. XL.

Undecima est *in d. l. §. 5.* So die Eltern einer Tochter zur ehrlichen Heyrath helfen/ sie auch dazu mit gebühlichem Heyrath-Gut nach Belegenheit ihres Vermögens versehen wollen/ und sie über solches die Heyrath ausschläge/ und sich in unehrllich Wesen und Leben begeben. Quæ fere verbotenus conveniunt cum *Nov. §. 11. Si alicui ex prædictis Parentibus volenti sue filie vel nepti maritum dare, & dotem secundum vires substantiæ sue pro ea prestare, illa non consenserit, sed luxuriosam degere vitam elegit.* Uterque Textus loquitur tantum de filia, non de filio. Unde concludunt Dd. filiam propter vitam libidinosam non posse exheredari, Zoef. *ad ff. de Liber. & Posth. n. 16.* quod quidem de hac causa facile largimur: sed de causa præcedenti eiusque clausula generali, filius scortator merito turpitudinis & consequenter exheredationis reus est statuendus; secus de Jure Justiniano.

## §. XLI.

In utroque textu supponitur, filiam conditionem nubendi honestam a Parentibus oblatam repudiassè, & magis luxuriosam vitam fuisse amplexam. Utrum vero sit sufficiens

ciens causa exheredationis, si vel unica vice sit imprægnata, an vero requiratur, ut cum pluribus sit scortata? in eo dissentiunt Dd. prius statuit Enekel *Priv. 14. Part. 1. C. 14. n. 18.* posterius Carpzov. *Part. 2. Crim. Q. 69. n. 76.* Hujus sententia verbis textus magis congruere videtur per illa, quæ habet D. Stryk. *d. Tract. §. 35.* Luxuriosam enim vitam degisse filia dici nequit, nisi amplexa fuerit meretriciam, *L. 43. ff. de R. N.* Prior tamen menti utriusque juris non est adversa. Sine dubio enim Parenti propterea conceditur exheredandi facultas, ut injuriam sibi & familiæ suæ illatam vindicare possit. At non multo minor est contumelia ipsius, si filia honestam conditionem nubendi despiciens, se passâ sit una vice imprægnari, quo ipso dedecus Familiæ illatum in perpetuum durat, non minus ac si pluribus se prostituisset filia.

#### §. XLII.

In eo tamen est differentia utriusque Juris circa hanc causam, quod Justinianus eam limitet: *ut si usque ad viginti quinque annorum ætatem pervenerit filia, & Parentes distulerint eam marito copulare, & forsitan ex hoc contigerit in suum corpus eam peccare, aut sine consensu Parentum marito se libero tamen conjungere, hoc ad ingratitudinem filie imputari non debeat, quia non sua culpa, sed Parentum id commississe cognoscitur.* Quam tamen limitationem ab ætate desumptam omisit Jus nostrum Prut. Neque enim officium Parentum, quo filiabus suis conditionem nubendi quærere debent, *arg. L. 19. ff. de R. N.* initium capit a majorenitate filie, sed ex quo nubile facta est. *Sirac C. 7. v. 27.* Neque filia indecorum officii paterni neglectum crimine scortationis compensare potest. Unde putamus Jure Prut. filiam scortatricem posse

E

ex-

34  
exhæredari, sive infra, sive supra vigesimum quintum  
ætatis annum in corpus suum peccare inceperit. Nulla  
enim ratio dari potest, quare cum filia majorenni scorta-  
trice mitius agendum sit, quam cum minorenni, cui imbe-  
cillitas ætatis magis conciliare videtur veniam, modo utro-  
bique culpa Parentis abfit.

§. XLIII.

In eo Jus nostrum recedit a Jure Justiniano, vel ad  
minimum id, quod ex *Nov. d. §. 11.* nonnisi a contrario  
sensu deduci solet a Dd. clarius determinat, quod hæc  
causa undecima etiam ad illos liberos pertinere debeat, qui  
sine justa causa invitis Parentibus nuptias contraxerunt, verb.  
Es soll auch ferner eine solche Enterbung statt haben / wann  
ein Kind ohne rechtmäßige Ursach allein aus freventlichem  
Muthwillen und Ungehorsam ohne seiner Eltern Consens,  
Vorwissen und Bewilligung sich ehelich versprechen / und dar-  
auff obstinate halsstarriglich beharren wolte; quod tamen  
in eodem loco limitatur, (1) nisi honestam sibi personam  
in matrimonium elegerit, vel (2) suam conditionem ita  
insigniter reddiderit meliorem, quibus casibus Parens nu-  
ptias liberorum suo dissensu non posset impedire, ne dum  
liberos propterea exhæredare. Conf. *Pr. L. R. L. 2. Tit. 1.*  
*Art. 1. §. 13. & 14.*

§. XLIV.

Duodecima est *in d. l. §. 6.* Wann die Eltern an Leibes-  
Nahrung und gebühlicher Pflege / Cur oder Besehung und  
Unterhaltung Mangel hätten: Es wäre gleich von wegen zu-  
gestandener Armuth / Krankheit / oder auch da sie von ihren  
Sinnen oder Vernunft kommen: Und ihre Kinder und Kindes-  
Kin-

Kinder sich ihrem Vermögen nach derselben nicht annehmen / und nach Nothdurfft versehen. Quæ causa hic amplior est, quam in Nov. d. §. 12. ubi saltem de furioso Parente a liberis destituito sermo est. In eo tamen utrumque Jus convenit, quod sive Parens desertus condiderit testamentum, & liberos deserentes exhæredaverit, sive non; nihilominus liberi ipso jure excludendi & hæreditas Parentum illis concedenda sit, qui eos cura sua sunt complexi. Latior autem in eo est Novella, quod non tantum de liberis, qui Parentes furiosos neglexerunt, sed de aliis quoque Cognatis, qui liberis non existentibus ab intestato succederent, faciat mentionem & disponat: eos omnes a successione ab intestato ejus, quem furiosum neglexerunt, esse excludendos, & integram hæreditatem illis concedendam esse, qui furiosos curarunt, quod in Jure nostro circa hanc causam verbis expressis non est sancitum.

§. XLV.

Decima tertia est in d. l. §. 7. So Vater und Mutter oder andere Eltern gefangen würden / und ihre Kinder eines oder mehr dieselben zu erledigen nicht Fleiß anwenden / und darinnen säumig seyn würden. Eodem modo hæc causa in Nov. d. §. 13. sic exprimitur: *si unum de prædictis Parentibus in captivitate detineri contigerit, & ejus liberi sive omnes, sive unus non festinaverint eum redimere.* In utroque jure verbis sequentibus distinguitur, utrum Parentes captivitatem evaserint, nec ne, & in ea mortui fuerint: priori casu conceditur Parenti, liberos negligentes exhæredare: posteriori ipso jure liberi a successione Parentum excluduntur, licet Parentes in captivitate nullum fecerint testamentum. In utroque Jure ista ratio excludendi extenditur quoque ad

remotiores consanguineos hæredes, & captivi in captivitate defuncti hæreditas addicitur Ecclesiæ, ut juxta Nov. non nisi in redemptionem aliorum captivorum: juxta Jus nostrum vero, etiam in alias pias causas impendatur. Supponitur utrobique Liberos vel alios hæredes non debitam adhibuisse diligentiam captivum redimendi. Unde consequitur, quod, si talis fuerit captivitas, quæ non potuit redimi, successio ab intestato locum habere debeat. Enekel *l. c.* §. 20.

§. XLVI.

Decima quarta & ultima est *in cod.* §. 7. So ein Kind eines R. hrischen Glaubens wäre. Prolixius hæc causa exponitur *in Nov. d.* §. 14. ubi quoque determinatur, quisnam sit hæreticus, qui scilicet non conspirat in fidem a quatuor Conciliis Oecumenicis approbatam. Quia vero hoc pacto adhuc inter Pontificios & Protestantes controversia est, quis eorum a fide ista divortium fecerit? Pace autem Religiosa, Instrumento Pacis Osnabrugensis & in Prussia Pacificatione Welaviensi de A. 1657. Art. 16. Pontificiis ac Evangelicis Protestantibus publica securitas quæsitæ sit; nullius horum fidem infami nomine Hæreseos notare possumus; adeoque nec Pater pontificius filium Evangelicum vel Lutheranum vel Reformatum: nec vice versa hæreticum dicere, nec propter religionis diversitatem exhæredare possit. Ad illos itaque hæc causa exhæredationis pertinet, qui non receptæ vel reprobatae per Leges fundamentales cujusvis Regni adherent Sectæ. Et sic aliter hæreticum de jure arbitramur esse definiendum, quam Theologi describere solent.

§. XLVII.

In utramq; partem disputari solet: an præter hæcenus enarratas exhæredandi causas etiam aliæ sint admittendæ? quod



quod quidem negare videtur Justinianus in *Nov. d. C. 3. pr.* verb. *ut præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitude causas apponere, nisi quæ in hujus constitutionis serie continentur:* & Jus nostrum quoque *cit. l. §. 8. verb.* und bey diesen in gemein beschriebenen Meyren/ aus gedruckten Ursachen lassen wirs allhier auch bewenden. Prout vero contra mentem Justiniani non est, expressas causas ad similes extendere: ita ex collatione istius juris cum nostro apparet, causas exhæredandi Justinianeas in Jure nostro varie fuisse extensas, & etiam per interpretationem ad graviores extendendas esse, expresse sancitur, *in d. §. 8.* Sed inde jam oritur dubium: quænam sint ista crimina graviora, quapropter filius exhæredari possit? & sic fere omnis illa in principio *hujus §. 8.* posita restrictio enervatur, aut penitus tollitur. Nam exemplum criminis læsæ Majestatis otiosum est, quia filius perduellis citra exhæredationem Patris incapax est successio- nis. B. Stryk. *de Succ. ab intest. Diff. 12. C. 1. §. 9.* Sed hæc incerta linquamus.

### §. XLVIII.

Et ad causas exhæredandi Parentes progrediamur, quarum prima est *in d. l. A. 2. §. 1.* Wann Vater oder Mutter oder andere Eltern ihr Kind oder Enckel durch ihre Anklag oder Delation und angeben/ doch aufferhalb des Lasters beleidigter Majestät/ angeklaget/ und in den Tod zu bringen unterstanden. *In Nov. d. C. 4. §. 1. si Parentes ad interitum vite liberos suos tradiderint, citra causam tamen, que ad Majestatem pertinere dignoscitur.* Hanc causam, cum tertia exhæredandi liberos convenire dicit B. Dn. Stryk. *d. Tr. §. 40.* Putamus tamen in eo esse differentiam, quod filius a Patre exhæredari possit ob cujusvis criminis accusationem, licet poena

ejus non sit capitalis, sed infamia aut pecuniaria, *vid. supr. § 29.*  
 at vero Pater a filio non nisi ob hujusmodi criminis accusa-  
 tionem, cujus poena capitis est: *Verb. Nov. ad interitum vite.*  
 Jur. Prut. und in Tod zu bringen.

## §. XLIX.

*Secunda in d. A. 4. §. 1.* Wann die Eltern ihre Kinder  
 mit Zauberey / Gift oder andere Wege zu erdöden sich unter-  
 stünden: eodem modo *in Nov. C. 4. §. 2. si venenis aut male-*  
*ficiis aut alio modo Parentes filiorum vite insidiari probabuntur.*  
 Hic utroque in Textu conjunguntur ea, quæ supra tanquam  
 diversa causæ quarta & quinta, §. 30. & 31. respectu libero-  
 rum fuerunt relata, & arctius maleficium Parentis circum-  
 scribitur, ut præcisè adversus filium & in necem ejus sit pa-  
 tratum; nisi hoc ita & in filio malefico in quarta causa  
 ex mente legis circumscribendum esse videatur.

## §. L.

*Tertia in l. cit. d. §. 1.* So der Eltern eines mit seines Kindes  
 Ehegemahl unkeuscher Werke gepflogen. *In Nov. l. c. §. 3.*  
*si Pater nurui sue aut concubine filii sese immiscuerit:* Hic se  
 offerunt eadem discrimina utriusque textus, quæ ad causam  
 exhæredandi liberos sextam in §. 32. notata sunt, quæve hic  
 repetere nolumus.

## §. LI.

*Quarta est in eod. §. 1.* Wann der Eltern eines sein Kind oder  
 Kindes-Kind/an fürhabendem Testament verharlich zu verhin-  
 dern sich unterstünde: sonderlich in den Dingen / darin ihm die  
 Rechte zu testiren zugelassen: *in d. Nov. C. 4. §. 4. Si Parentes*  
*filios suos testamentum condere prohibuerint in rebus, in quibus*  
*testan-*

39

*testandi habent licentiam.* Hic quidem in eo videtur esse aliqua differentia utriusque textus, quod Nov. loquatur saltem de filio: at jus nostrum de liberis in genere. Sed nulum est dubium, quin Nov. etiam pertineat ad filiam facultatem testandi habentem. Nam pronuntiatio sermonis in sexu masculino ad utrumque sexum plerumque porrigitur. *L. 1. L. 195. pr. L. 201. ff. de V. S.*

### §. LII.

Utrobique hic supponitur casus, ubi liberi testandi habent licentiam. Nam liberis in patria potestate constitutis denegatur testandi facultas utroque jure. & in specie in *J. re Prut. p. 742. §. 5.* exceptis bonis castrensibus & quasi. Adeoque si de aliis bonis testari volentes liberi, a Parentibus prohiberentur, hi eapropter non possent exheredari. Quia vero patria potestas aliter, quam de Jure Justiniano, moribus nostris determinanda est. Vid. Dn. Thom. *Disp. de Quasi emancipat. Germ. §. 26.* Liberantur enim liberi ab ea non tantum morte Parentis & emancipatione, sed etiam per separatam æconomiam, nuptias & majorennitatem; hinc etiam casus ille, in quo liberis testandi licentia competit, aliter ac Jure Civili esset determinandus. Vid. *Disput. de Legit. Juris Prut. §. 26.*

### §. LIII.

Quinta in *d. Art. 2. §. 2.* So ein Vater des testirenden Kindes Mutter / oder entgegen die Mutter den Vater umbzubringen sich unterstanden hätte / in *Nov. d. C. 4. §. 5. si contigerit virum uxori sue ad interitum aut alienationem mentis dare venenum, aut uxorem marito vel alio modo alterum vita alterius insidiari.* Jus nostrum circa hanc causam videtur qui-

quidem esse angustius *Nov. all.* quod de insidiis vitæ saltem loquatur: At *in Nov.* etiam de alienatione mentis: Veruntamen verbum Juris Prut. **umbzubringen** recte etiam ad casum *in Nov.* expressum applicari potest. Nam qui maritus suæ uxori venenum dedit, ad mentis duntaxat alienationem, de eo recte dici potest, quod intenderit eam perdere; ut adeoque in verbis quidem: non tamen in re & mente utriusque juris differentia sit.

## §. LIV.

Sexta est *in eod. §. 2.* Wann die Eltern ihre Kinder in Armuth / Elend und Brandtheit / oder so sie ihrer Vernunft beraubet wären / nicht mit gebührllicher Unterhaltung / Cur und Pflege versehen: Latius hic etiam est Jus nostrum, quam *Nov.* ubi saltem de liberis furiosis sermo est: *in §. 6. si liberis vel uno ex his in furore constituto Parentes eos curare neglexerint.* Sed communiter quod de furore *in Nov.* exprimitur a Dd., ex mente Justiniani ad aliam calamitatem filii, quæ in jure nostro verbis exprimitur solet extendi. Sichard. *in Com. ad C. auth. non licere. C. de Lib. præterit. & exhered. n. 5.* Hæc causa per omnia fere convenit cum ea, quam *supr. §. 44.* exposuimus; quare, quæ ibi notavimus, & hic applicari possunt, & debent: per verba *Nov. omnia & hic observari præcipimus, quæ de Parentibus furiosis superius disposuimus.*

## §. LV.

Septima *in eod. §. 2.* So die Kinder in Gefängniß und Verhaft kommen / und die Eltern sie zu erledigen nicht verhelffen wolten: Ob denn gleich ein solch Kind und in solcher seiner Noth untestiret verstaube / und die Eltern ihm wissentlich nicht

41

nicht Hülffe gethan hätten / noch thun wollen / sollen sie hiemit  
dañoch von seiner Verlassenschafft ausgeschlossen seyn: Iisdem  
ferè verbis hæc causa in *Nov. d. C. 4. §. 7.* exprimitur, quæ,  
quia sunt prolixiora, hic adscribere nolumus. Et quia hæc  
causa coincidit cum decima tertia exhæredandi liberos,  
quam in §. 45. exposuimus, eadem, quæ ibi notavimus, &  
hic sunt notanda.

§. LVI.

Octava est in *d. §. 2.* Wann die Eltern in verdampter  
Reberey stecken / und darin verharrlich bleiben: Die Kinder aber  
wahre und Christgläubig wären / in *Nov. d. §. 8.* *Si quis de*  
*prædictis Liberis orthodoxus constitutus senserit suum Parentem*  
*vel Parentes non esse Catholica fidei,* quæ convenit cum decima  
quarta a nobis in §. 46. exposita, adeoque quæ ibi observa-  
vimus, & hic repetenda sunt.

§. LVII.

Quare vero hic numero pauciores sint exhæredandi  
causæ, quam in liberis & descendantibus exhæredandis?  
ratio hæc solet dari, quod major & amplior sit obligatio  
liberorum erga Parentes, quam Parentum erga liberos. Hi  
namque propter beneficium educationis & alimentationis a  
Parentibus acceptum, iis tenentur obedientiam, reveren-  
tiam & gratitudinem præstare: ast vero Parentes liberis  
pietatem duntaxat & humanitatem, quam quidem non  
æque facile & frequenter violare possunt, quam liberi suum  
officium, vid. *Gudelin. de Jure Nov. L. 2. c. 8. n. 4.* B. Stryk:  
*d. C. 19. §. 40.*

§. LVIII.

Denique (4) id quoque ad exhæredationem requi-  
ritur, ut causa ejus in testamento expressa ab hærede scripto  
F pro-

probetur, *Pr. L. N. d. L. 5. Tit. 5. A. 1. S. 9. verb.* Sondern auch / da die enterbte Person derselben nicht geständig / durch die andere eingesetzte Erben / oder andere / so solches angehen und belangen möchte / gnugsam probiret und erwiesen werden. *Quod de verbo fere desumptum est, ex d. Nov. C. 3. S. 14. verb. & scripti heredes nominatam vel nominatas causas vel unam ex his veram esse monstraverint, testamentum suam habere firmitatem decernimus.* Neque enim Patri in testamento asserenti: filium fuisse ingratum, simpliciter credendum est, cum ad id novercalibus blandimentis potuerit fuisse commotus: neque amplius isto colore, quasi Pater non sanæ mentis fuerit, opus est, quo antiquitus querela inofficiosi deliniri debuit, *pr. Inst. de inoff. Test.* Sed sufficit, si filius dicat, se non ad præscriptum juris, neque ex vera causa fuisse exhæredatum: pro filio enim militat præsumptio bonitatis delicti exclusiva. Quod si ergo Parens liberos ex justa causa exhæredes esse velit, cautus quoque sit, ut hæredem scriptum simul instruat de mediis probandi causam exhæredationis. Quem in finem utile est omnes, quantum fieri potest, circumstantias delicti a filio in se commissi in Testamento exprimere, ut inde hæres probationem causæ construere possit, *Mascard. de prob. Conc. 714. n. 18. Mantic. de Conj. Ult. Volunt. Lib. 4. Tit. 11. n. 34.*

### §. LIX.

Nimis tamen subtiles & scrupulosi nobis videntur illi Doctores, qui hocce ultimum exhæredationis requisitum non ad formam seu modum exhæredationis, sed ad ejus qualitatem aut executionem réferré malunt, *vid. Struy. Ex. ff. 10. ib. 15.* Nam licet omnia alia rite circa exhæredationem facta sint, puta, si filius v. gr. nominatim, ex causa jure pro-

probata, eaque in testamento expressa exhaeres esse iustus sit, nisi tamen & causam veram esse probatum fuerit; nihilominus exhæredatio nullius momenti foret; paria enim in jure esse censetur non esse, & non apparere, *Pr. L. R. d. L. s. T. s. A. 1. § 9. verb.* Solte aber die einverleibte oder sonst nach ihrer Gelegenheit angezogene Ursach unerwiesen bleiben: Ist nicht allein die Exhæredation und Enterbung/sondern auch die ganze Erbsagung tota scilicet institutio hæredum in testamento facta untüchtig und nichtig. Quid ergo opus est distingvere formam exhæredationis ab ejus qualitate; modum ab executione.

### §. LX.

Quod vero exhæredationem, ob omissionem unius vel alterius hætenus expositorum requisitorum nullam esse diximus, id ad hæredis institutionem jure nostro Prutenico, æque ac *in Nov. 115. C. 3. in fin.* restringitur: reliqua autem testamenti Capitula, Legata scilicet & fideicommissa & Tutoris datio &c. sustinentur, verb. all. loc. Allein was außserhalb der Erbsagung/extra institutionem hæredum in solchem Testament geordnet wäre worden/als Legata, fideicommissa, Tutoris datio und anders/ das soll noch seine Wirkung haben/ und von den Erben nichts desto weniger vollenzogen und verstattet werden. Nihilque moramur principio Juris antiqui, quo corruente principali, & accessoria corruere debuerunt. Nam Legata, fideicommissa & reliqua testamenti Capitula non dependent amplius ex fundamento institutionis, sed ex speciali Juris novissimi sanctione. Vid. Richter. *ad auth. in Testam. C. ad SCrum Tertull.*

Inde simul quoque consequitur, quod, si sanctionem Juris Prutenici, abstrahendo a Jure antiquo Romano & a Commentis Doctorum, nude spectare velimus, nulla differentia statuenda sit inter remedium nullitatis & querelam inofficiosi. Quamvis enim communiter statuatur: in casu quo exhæredatio nominatim facta non est; aut ubi quidem nominatim facta est, non tamen ex causa jure novo probata, locum sibi vindicare querelam nullitatis, licet & hic nonnulli dissentiant; at vero ubi hæc omnia rite quidem peracta sunt, causa tamen ab hærede scripto probari nequit, exhæredatis competere querelam inofficiosi: & hæc in effectu inter utrumque remedium statuatur differentia, quod inofficiosi saltem duret per quinquennium, nullitatis autem querela per triginta annos: illa non præparata non transmittatur, nisi in casu, *L. 34. C. 36. §. 2. C. de inoff. Testam.* at vero in hac præparatio non requiratur ad effectum transmissionis. *Richter. cit. l. n. 26. B. D. Stryk. d. Tr. C. 19. §. 44.* Ut tamen has differentias utriusque remedii in forum nostrum introducamus, causæ nihil est. Licet namque querela inofficiosi in Jure nostro nullibi sit sublata, sed potius expresse constitutum sit, quod durare debeat quinquennium. *Pr. L. R. Lib. 3. Tit. 14. Art. 3. §. 4. p. 470.* Non tamen a mente Juris nostri Prut. alienum esse videtur in illis casibus, ubi ob requisita exhæredationis ommissa testamentum quoad hæredis institutionem nullum esse dicitur, querelæ inofficiosi concedere locum; nam & in casu quo exhæredatio rite peracta est, id est, nominatim causa exhæredationis expressa eaque a jure probata, si tamen eam hæres scriptus probare non possit, in Jure nostro exhæredatio nulla esse dicitur: Et quod querela nullitatis pingvior esse dici-



45  
dicitur in eo, quod duret per triginta annos, id nullibi in  
Jure nostro Prut. comprobatum est. Sane si Supplemento  
Legitimæ, quod tamen communiter triginta annos durare  
creditur, de Jure Prut. quinquennium est præstitum, *all.*  
*L. 3. Tit. 4. Art. 3. S. 4.* non dissimili argumento quinquennio  
Querelæ inofficiosi etiam nullitatis querela circumscribi  
posset.

### §. LXII.


Neque est ut huic nostræ sententiæ quæ conjecturis  
nititur, opponatur communis Doctorum sententia, quod in  
casibus in Statuto non expressis recurrendum sit ad jus com-  
mune. Dubium enim adhuc est: an non Justinianus no-  
vam formam exhæredationis in *Nov. 115. C. 3.* præscribens,  
& constituens, ut hac non observata testamentum nullius  
sit momenti, vel plane sustulerit querelam inofficiosi, vid.  
Wesenb. *ad Tit. ff. de inoff. Test. n. 7.* vel ad minimum ei  
effectum querelæ nullitatis tribuerit; quod ultimum nobis  
verissimile esse videtur, quia in *d. Nov. C. 4. in fin.* poena  
præteritionis & non rite factæ exhæredationis conjungitur,  
& utroque casu, sive liberi vel Parentes præteriti sint, sive  
exhæredati, idque sive causa non addita, vel addita qui-  
dem, non tamen a Jure vel hærede probata, constituitur,  
ut testamento *infirmato, evacuato, vel nullam vim habente,*  
exhæredatus aut præteritus quasi ab intestato succedere  
debeat, Legatis, fideicommissis & reliquis testamenti capi-  
tulis salvis manentibus: Cum itaque Imperator hujusmodi  
verbis, quæ sine dubio nullitatem testamenti involvunt,  
promiscue utitur, etiam inibi, ubi tamen communiter te-  
stamentum querela inofficiosi rescindendum esse statuitur;  
non incredibile est, Compilatores Juris nostri quoque  
esse.

effectum querelæ nullitatis attribuisse querelæ inofficiosi, ita ut ubicunque olim testamentum ob formam exhæredationis omissam nullum fuit habitum, ex Jure Prut. per querelam inofficiosi rescindendum sit. Placitis autem Doctorum nihil moramur. Hæc enim non possunt constituere principium, ex quo Jus nostrum in casibus non expressis sit supplendum.

## §. LXIII.

Coronidis loco subjiciendum esset, quod exhæredatio expiret & cesset mutata voluntate exhæredantis sive expressa, alio scilicet testamento, vel revocatione exhæredationis solenniter facta: sive tacita, utpote si testamentum, in quo exhæredatio facta est, dilaceraverit vel cancellaverit, vel exhæredatum post factam exhæredationem in gratiam receperit, & eum sibi reconciliari passus fuerit, *Pr. L. N. Lib. 5. Tit. 5. Art. 1. §. 12.* qua de re vid. *Lange all. Diss. §. 44. Fachin. Lib. 6. Contr. 76. & seqq. Zoef. ad Tit. ff. de Lib. & Post. n. 19. aliique.* Quia vero labor noster præter intentionem excrevit, illa hic hac vice indigitalasse sufficiat.

S. D. L. &amp; G.



Königsberg, Diss., 1774/19


ULB Halle 3  
001 856 294



*St*







B.I.G.

Farbkarte #13

LXII.

111

1714,5

6/1

DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
EXHÆREDATIONE JURIS  
PRUTENICI,

vulgo  
Von Enterbung der Kinder und  
Ältern nach dem Preussischen  
Recht /

quam  
ADJUVANTE DEO TRIUNO,  
EX CONSENSU  
AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,  
PRÆSIDE  
DN. DAVID STAVINSKI,  
U. J. D. & P. P.

*placide Eruditorum Censura submittit*  
HENRICUS ~~Stühn~~ Reg. Pruff.  
IN AUDITORIO MAJORI,  
D. Maji, A. M DCC XIV.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

